

RANAE REGEM PETVNT

OPVS PRIMVM (PRAETERITUM)

Athenae cum **florerent** aequis legibus,
procax libertas civitatem **miscuit**,
frenumque **solvit** pristinum licentia.
Hic conspiratis factionum partibus
arcem tyrannus **occupavit** Pisistratus.
Cum tristem servitutem **flerent** Attici,
non quia crudelis ille, sed quoniam grave
omne insuetis onus, et **coepissent** queri,
Aesopus talem tum fabellam **rettulit**.
'Ranae, vagantes liberis paludibus,
clamore magno regem **petierant*** ab Iove,
qui dissolutos mores vi **compesceret**.
Pater deorum **risit** atque illis **dedit**
parvum tigillum, missum quod subito vadi
motu sonoque **terruit** pavidum genus.
Hoc mersum limo cum **iacuisset*** diutius,
forte una tacite **protulit** e stagno caput,
et explorato rege cunctas **evocavit**.
Illae timore posito certatim **adnatarunt**¹,
lignumque supra turba petulans **insiluit**.
Quod cum **inquinassent**² omni contumelia,
alium rogantes regem **misere**³ ad Iovem,
inutilis quoniam **esset** qui **fuerat** datus.
Tum **misiit** illis hydram, qui dente aspero
corripere **coepit** singulas. Frustra necem
fugitarunt⁴ inertes; vocem **praeclusit** metus.
Furtim igitur **dedere**⁵ Mercurio mandata ad Iovem,
adflictis ut **succurreret***. Tunc contra Tonans
"Quia noluitis vestrum ferre" inquit "bonum,
malum perferte". Vos quoque, o cives,' ait
'hoc sustinete, maius ne veniat malum'.

OPVS SECUNDVM

Athenae cum **floruerint** aequis legibus,
procax libertas civitatem **miscebit**,
frenumque **solvet** pristinum licentia.

¹ syncopata est forma ex "adnataverunt".

² "inquinavissent"

³ "miserunt", ex *mitto*, -ere.

⁴ "fugitaverunt"

⁵ "dederunt"

Hic conspiratis factionum partibus
arcem tyrannus **occupabit** Pisistratus.
Cum tristem servitutem **fleverint** Attici,
non quia crudelis ille, sed quoniam grave
omne insuetis onus, et **cooperint** queri,
Aesopus talem tum fabellam **referet**.
'Ranae, vagantes liberis paludibus,
clamore magno regem **petent** ab Iove,
qui dissolutos mores vi **compescat**.
Pater deorum **ridebit** atque illis **dabit**
parvum tigillum, missum quod subito vadi
motu sonoque **terrebit** pavidum genus.
Hoc mersum limo cum **iacuerit** diutius,
forte una tacite **proferet** e stagno caput,
et explorato rege cunctas **evocabit**.
Illae timore posito certatim **adnatabunt**,
lignumque supra turba petulans **insiliet**.
Quod cum **inquinarint**⁶ omni contumelia,
alium rogantes regem **mittent** ad Iovem,
inutilis quoniam **sit** qui **fuerit** datus.
Tum **mittet** illis hydram, qui dente aspero
corripere **coepiet** singulas. Frustra necem
fugitabunt inertes; vocem **praecludet** metus.
Furtim igitur **dabunt** Mercurio mandata ad Iovem,
adflictis ut **succurrat**. Tunc contra Tonans
"Quia noluitis vestrum ferre" inquit "bonum,
malum perferte". Vos quoque, o cives,' ait
'hoc sustinete, maius ne veniat malum'.

⁶ "inquinaverint"